76

S. P. Gratulor mihi de felicitate illa,
Vir praestantissime, quia nuper in
Comitijs circularibus Brunsvigae
mihi contigit, cum occasionem nan-
ciscerer me in amicitiam tuam
penetrandi. Equidem te antehac
non visum, fama tamen notissi-
mum amabam, colebam, magni-
faciebam. Plurimum tamen incre-
menti affectui erga te meo adiecit
brevis illa, quae nobis intercessit,
conversatio, quod humanitatem
comitatemque in te eruditione
non minorem esse sentirem.
Cumque Cl. D. Finckius operam
mihi suam, si quid ad te vellem,
offerret, literas hasce inter occu-
pationes plurimas ad te dare vo-
lui. Sint istae sponsores ac prae-
des amoris et observantiae erga
te meae. Ac si placuerit commer-
cium hoc literarium, impigrum
hac in parte me experieris, neque
quin pariter hac in parte facturus
sis nullus dubito. Vive, vale et
salve ab illo, qui te amat et colit

Martino Chemnitio.

Chilonij XV.
Septembr.
Ao XXIII.

Nobiliſsimo et præstantiſsimo
viro, Melchiori Goldasto ab
Heimensfeld, Icto celeberrimo,
consiliario Schauenburgico,
amico obseruando.